



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

809. An, & qualiter traditio possessionis fieri non debeat nisi vocato possessore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

n. 35. qui citat pro hoc Cassad. *decis. 8. n. 2. de causa possess. & propriet.* vel nisi Capitulum ipsum impediatur, quò minus possessio ita apprehendatur. Lott. n. 36. citans Gregor. *decis. 364. n. 2.* Card. de Luca *in summa. de benef. n. 274.* vel nisi in subsequentibus actibus collegialiter gestis talis fuisset admittus; per hanc enim admissionem ad actus tales canonicales jam ratificatur veluti, & sustinetur, & iustificatur prior possessio non capitulariter capta vel tradita; atque ita manutenebitur talis in possessione, nisi fortè re minus integrà, id est, post possessionem capitulariter alteri traditam processisset factum illud, nempe dicta admissio ad actus subsequentes Capitulares, implicans seu supplens aliàs traditionem capitularem possessionis. Lott. n. 37. *juncto num. 41.* Ita quoque Canonicus, qui diu fuit in possessione Canonicatus cum titulo infecto, seu alias nullo, superveniente ei titulo valido, opus non habet novà installatione, seu traditione possessionis capitulariter factà, Lott. n. 42.

Questio 809. An, & qualiter traditio possessionis fieri non debeat, nisi vocato possessore?

Respondeo: dum quis ipso jure privatur beneficio, & beneficium vacat, v. g. ob non factam à resignatario publicationem, ob non dimissum incompatible, & consequenter illud à quocunque impetrari potest, in collatione faciendâ talis ipso jure privatus vocandus non est; à possessione tamen talis de jure non debet, nec potest inauditus, & non vocatus, & alter in ejus locum in possessionem mitti; sed debet citari & vocari per Executorem juxta expressum text. *c. licet Episcopus. de prob. in 6. ubi: licet Episcopus beneficium, quod cum cura animarum tenebas, postquam aliud recepisti consimile, illius possessionem pacificam habuisti, possit alteri de jure conferre, illum tamen, cui contulerit, non debeat te non vocato (cum tibi forsân jus possit competere retinendi) in possessionem illius inducere corporalem &c.* Paris. l. 11. c. 10. n. 10. citans quamplurimos. Et ratio præter eam, quam citatus text. *c. licet Episcopus.* exprimit, quòd nimirum illi possessori posset competere jus, est, quòd licet amissum sit jure ipso dominium beneficii, non tamen jure amissa est possessio illius, ut multis exemplificat Paris. à num. 12. Sed & spoliator & prædo, cum de jure possessione, est vocandus & audiendus. Paris. n. 29. unde etiam ait n. 20. hanc vocationem & citationem esse juris naturalis, citatque pro hoc Decium & Cravettam; unde & iste non vocatus possessor amotus à possessione agere potest spolio, ut Menoch. *in 8. remed. possess. recuperand. n. 50. & 73. Ferret. cons. 10. n. 10. &c.* quos citat Paris. n. 23. Concludunt proinde DD. omnes, quòd dum in collatione non est vocatus ille, qui possidet beneficium, quo ipso jure privatus est, possessio nequaquam tradi possit aut debeat per conferentem, vel Executorem alteri, illo non vocato. Paris. n. 15. & 21. Unde etiam inferunt nam. 9. & 22. in literis Apostolicis, in quibus fit provisio ob non factam publicationem, apponendam esse clausulam: *vocato possessore.* idque vendicare sibi locum in omnibus privationibus, ipso jure factis, prout extendit Gl. *in cit. c. licet Episcopus. v. te non vocato:* tametsi ubi hæc clausula non adderetur, adhuc Executor vocare deberet possessorem, nisi aliud in literis exprimeretur. Paris. n. 33. citans Franc. *in cit. c. licet Episcopus. Menoch. ubi ante. n. 51.*

ac dicens, hanc sententiam esse DD. omnium. Vocato autem possessore, agendum erit summarie. Paris. n. 34. juxta Gl. *in cit. c. licet Episcopus. v. te non vocato.* Neque hucusque dictis obstat dictum Gl. *in c. felix. de penitentia. in 6.* quod offendentes Cardinales sint privati ipso jure beneficiis; si quæ habent, & quòd Ecclesiarum Rectores seu collatores, ad quos spectant, de eis disponant; illis, etiam si de facto possideant, non vocatis; nam illud esse speciale, ait Paris. n. 24. ob atrocitatem delicti; & propter atrocitatem criminis licitum est transgredi jura, ut habet commune dictum; pro quo citat Innoc. *c. 1. de constitut.* & plures alios.

Questio 810. An, & qualiter possessio beneficii capi possit per procuratorem?

Respondeo primò: possessio non solum apprehendi potest ab habente canonicum titulum, seu beneficiato ipso, sed etiam ab ejus procuratore; quia si in vi mandati, quod habet ab eo ad beneficia, possit collatum beneficium acceptare, à fortiori poterit vi ejusdem mandati beneficium acceptari possessionem arripere; cum possessio non conferat, sicut confert acceptatio. Castrop. *de benef. d. 2. p. 32. n. 5.* Paris. *de resign. l. 10. q. 6. n. 9.* Covar. l. 3. var. c. 16. n. 8. dicens, id esse manifesti juris, & ita servari de stylo notorio.

2. Respondeo secundò: probabilius videtur, non posse procuratorem generaliter constitutum apprehendere possessionem beneficii acceptati; sed egere ad hoc speciale mandatum, quale est mandatum ad beneficia. Castrop. *ibid. n. 6.* citans Gl. *in c. si tibi absenti. de prob. in 6. v. habuerit.* Imol. *in l. 1. §. per procuratorem. ff. de acquir. possess.* Paris. *loc. cit. num. 13.* dicens esse communem, contra Covar. l. 3. var. c. 16. n. 9. & Valf. *de benef. c. 4. §. 4. dub. 6.* possessio enim, esto non tribuat jus in beneficio, est tamen accessoria acceptationi beneficii illius perfectio & complementum, adeoque imitari debet naturam sui principalis, nempe hujus acceptationis, cui accedit; ergo sicut ad acceptandum beneficium, ita etiam ad capiendam possessionem illius requiritur mandatum speciale. Castrop. *cir. n. 6.* & sufficit mandatum aliàs procuratori ad beneficia, seu ad beneficium acceptandum, etsi expressa in eo non fuerit capiendâ possessio. Porrò poterit ad capiendam possessionem beneficii constitui procurator, etiam laicus. Paris. *lo. cit. n. 14.* citans Rossiniac. *de benef. c. 12. num. 14.*

Questio 811. An, & qualiter capi possit possessio, lite vel appellatione pendente?

Respondeo primò: reo contumace actor, jure suo necdum offenso, mitti non debet in possessionem ob periculum, ne vitium intrusionis incurrat; juxta *c. unicuique. de eo, qui mittitur in possessionem causâ rei servandâ.* Laym. *ad c. olim. de rescript. n. 1.*

2. Respondeo secundò: lite pendente non potest quis capere possessionem beneficii, super quo lis est, aliàs talis adeptio possessionis revocatur viâ attentatorum; idque etiam si possessio lite pendente capta fuisset momentanea; Paris. *de resign. l. 2. q. 3. n. 26. & 27.* Si tamen resignatio facta fuit ante litem motam, resignatarius potest capere possessionem, pendente lite absque metu attentatorum; nam adeptio possessionis, quando venit accessorie ad aliquid, quod habebat ante litem motam, tunc capiendâ possessionem, non dicitur attentatum;